



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

12. Julij. 4. Idus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

sarcinâ propriæ voluntatis, sub levi onere charitatis respirem? nec jam servili timore coërcear, nec mercenaria cupiditate illiciar; sed agar spiritu tuo, spiritu libertatis, quo aguntur filij tui, qui testimonium reddat spiritui meo, quòd & ego sim unus ex filijs, dum eadē lex mihi fuerit, quæ & tibi?



12. Julij. 4. Idus.

Obijt

anno

1163.

Gē. VI.

B. LAMBERTE, Superior Generalis totius Cisterciensis Ordinis. Quam dignitatem per gradus, ceu virtus probata solet, conscendisti. Ex Morimundo enim, domo Professionis, præpositus Claro Fonti, inde ad clavum Paternæ sedis revocatus, non multum supra annum præfuiisti, cum sublato è vivis Gozewino, regimen universale suscipere coactus es. In quanta existimatione apud summos terre principes fueris, manifestum fecit Fridericus Imperator: qui ad Comitata Generalia, te præside celebrata, per Legatos, & humilem sanè pro authoritatis suæ tenacissimo Principe, epistolam supplex rogavit: *Ut in fraternitatem sacri Ordinis reciperetur.*

Cesarē

in fra-

trem

Ordinis

suscipit

reciperetur. Aliàs cùm eundem conventum Patrum convocavisses, ac totus penè terrarum orbis in partes distractus, nunc Alexandro, nunc Victori, Pontificatum assereret; tu cum sancto Senatu Alexandrum verum Petri Successorem esse, pronuntiasti. Cui sententiæ, tanquam divinitus decisâ controversiâ, pleraq; regna subscripserunt. Sex anniste Patrem Ordo habuit: quibus per continuos labores expletis, ad S. Stephani prædecessoris exemplum, deposito baculo pastorali Morimundum reversus, residuum vitæ triennium uni curæ beatæ mortis consecrasti.

Ut me ad te in hoc salutis negotio imitandum provoces, objice mentis meæ oculis certam, sed incerti momenti, mortis horam: angustias illas separandæ à rebus terrenis animæ: Judicium severissimum: sententiam irrevocabilem. Quæ pericula si non tollet, sanè mitigabit sedula ad mortem felicem præparatio.

B. DESIDERI: qui militiæ profanæ armis valere jussis, sub sanctissimo Duce BERNARDO in virtutum palæstrate tam strenuè exercuisti: ut cùm ille manipulum fratrum condendæ Alcobaciæ in Lusitaniam emitterat, selectis illis athleticis te annumeraverit. In cujus monasterii ædificiis erigendis

B b 7

cùm

Alexandro Pontificatum asserit.

Præparatio ad mortem.

Floruit anno 1147.

*Cappa
illi pro
navi
servit.*

*Humi-
lis obe-
dientia*

*Præve-
nienda
sunt pe-
ricula
mortis.*

cùm non languidè defudares, frequen-
ti prodigio DEUS labores tuos secun-
davit. Sita est Alcobacia inter duo flu-
mina, Coam & Bazam (hinc illi no-
men) quæ quotiescunque trajicere vo-
lebas, deficiente scapha, serviebat cap-
pa: hac enim in undas projecta, sinè re-
mis & velis in adversam ripam promo-
vebaris. Sed & jam in altero portu fe-
licissimæ æternitatis te securum, ce-
lebrarunt non exigui numeri miracu-
la. *Non secus ac inter duas ripas velocis-
simo cursu prætervolat torrens vitæ mor-
talis. Solvendi ab una (in qua nascimur)
ad alteram in (quæ morimur) necessitas
est inevitabilis. Tu Cappam (quæ humilem
Obedientiam designat) mihi substerne, hac
enim navi portum tenebo securus.*

S. BERNARDUS, ser. 7. in ps. 90.

*Felix, quem circumdat clypeus Verita-
tis, ut introitum quoq; & exitum ejus
custodiat: exitum utiq; ab hac vita, &
introitum in futuram. Siquidem om-
nino opus erit illic custode; opus erit
duce fideli; opus erit consolatore ma-
gno, propter horribiles illis visiones,
non minùs, quàm hic adjutore, & pro-
pugnatore contra invisibiles tentato-
res.*

13. Jul.